

LIVII AB URBE CONDITA

TEXTO ORIGINAL

Iam primum omnium satis constat Troia capta in ceteros saevitum esse Troianos, duobus, Aeneae Antenorique, et vetusti iure hospitii et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne ius belli Achivos abstinuisse; casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Enetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi et sedes et ducem rege Pylaemene ad Troiam amisso quaerebant, venisse in intimum maris Hadriatici sinum, Euganeisque qui inter mare Alpesque incolebant pulsis Enetos Troianosque eas tenuisse terras. Et in quem primo egressi sunt locum Troia vocatur pagoque inde Troiano nomen est: gens universa Veneti appellati. Aeneam ab simili clade domo profugum sed ad maiora rerum initia ducentibus fatis, primo in Macedoniam venisse, inde in Siciliam quaerentem sedes delatum, ab Sicilia classe ad Laurentem agrum tenuisse. Troia et huic loco nomen est. Ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso prope errore nihil praeter arma et naves superesset, cum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque qui tum ea tenebant loca ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt.

REFORMULAÇÃO

Omnium satis constat, Troia capta, iam primum saevitum esse in ceteros Troianos; constat etiam Achivos abstinuisse omne ius belli duobus, Aeneae Antenorique, et pro vetusto iure hospitii et quia semper fuerant auctores pacis reddendaeque Helenae. Constat etiam deinde Antenorem, casibus variis, venisse in intimum maris Hadriatici sinum cum multitudine Enetum, qui quaerebant et sedes, pulsi ex Paphlagonia in seditione, et ducem, rege Pylaemene amisso ad Troiam. Constat etiam Enetos Troianosque tenuisse eas terras, pulsis Euganeis qui inter mare Alpesque incolebant. Et vocatur Troia locus in quem primo egressi sunt; et inde nomen est pago Troiano; gens universa appellata est Veneti. Constat etiam Aeneam, profugum domo ab simili clade sed fatis ducentibus ad maiora initia rerum, primo venisse in Macedoniam, inde in Siciliam delatum fuisse quaerentem sedes, ab Sicilia tenuisse in classe ad Laurentem agrum. Nomen est Troia et huic loco. Cum ibi egressi Troiani agerent praedam ex agris, ut eis nihil superesset, ab immenso prope errore, praeter arma et naves, rex Latinus Aboriginesque, qui tum tenebant ea loca, concurrunt armati ex urbe atque agris ad arcendam vim advenarum.